

1354-1354- OFP - Acta Capitulorum Generalium Narbone Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis Narbone celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · LIV° .

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: ad: suscipe deprecationem nostram, addatur: Item quandocumque nomen Ihesu nominatur in collecta, in prefacione vel antiphona quacumque aut in gloria in excelsis. Quando vero dictum nomen Ihesu alias nominatur in choro, fratres eidem reverenciam faciant capite devocius inclinato.

Item hanc: In ordinario post illud: noviter ordinatum et confirmatum de memoria s. Thome fienda, addatur sic: tempore resurrectionis addatur alleluia brevi tono dictis antiphonis breviter correspondens.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: idem dicimus de diffinitoribus capituli generalis, addatur sic: Nullus frater extra obedientiam nostri ordinis constitutus fiat in ordine diffinitor generalis capituli vel provincialis nec eciam vicarius, lector, iudex vel officialis ordinis quoquomodo.

Item hanc: In capitulo de graviori culpa in constitutione hoc presenti anno inferius noviter confirmata, ubi dicitur: idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos lusisse, addatur statim: vel qui in sentenciam excommunicacionis a quocumque iudice nostri ordinis rite latam scienter incidisse fuerint deprehensi.

Item hanc: In capitulo De itinerantibus, ubi dicitur: ex vi presentis statuti, deleatur quod sequitur: omni voce etc., usque ibi: nisi per magistrum ordinis, et dicatur: in penam incidat graviori culpe debitam ipso facto, in qua cum tali dispensari non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale; et omnes predicte inchoaciones medio tempore inviolabiliter observentur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de suffragiis [mortuorum], ubi dicitur: Anniversarium vero fratrum, addatur: et sororum ordinis nostri. Idem eciam addatur in kalendario, ubi anniversarium supradictum ponitur. Et hec habet · ii · capitula.

Item approbamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus nisi de licencia magistri ordinis speciali, addatur sic: nullus conversus recipiatur infra · xviii · annos, et radatur hoc in eodem capitulo inferius, ubi prius erat, et post rasuram ita ponatur immediate: nullus eciam recipiatur illegitime natus, nisi de prioris provincialis licencia speciali; et tunc sequitur: si vero clericus. Et hec habet duo capitula.

Item approbamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: et ex tunc incipiat auctoritas eorumdem, addatur sic: Quod si aliquis de dictis diffinitoribus, durante provinciali capitulo, mori vel amoveri contigerit vel causa legitima impediri, electores supradicti secundum superius dictam formam possint statim alium in diffinitorem dicti capituli eligere, qui mox electus eamdem in omnibus habeat potestatem, quam ceteri habent diffinidores, et loco mortui seu impediti omnia capituli negocia cum aliis pariter diffiniet et tractabit. Et hec habet duo capitula.

Item approbamus hanc: Ad instanciam serenissimi principis et domini domini regis Romanorum et semper augusti, quod de beato Adalberto martyre fiant tres lectiones per totum ordinem, sequenti die post festum beati Georgii.

Item. Quod de beato Procopio confessore fiant tres lectiones per totum ordinem, modo consimili, quarta die mensis iulii. Et hec habet duo capitula.

Item approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Idem dicimus de socio prioris conventionalis euntis ad capitulum provinciale electo, addatur sic: instante vero prioris provincialis electione, priorum conventionalium illius provincie absolucionem, nisi ob causam criminis vel gravis scandali, fieri per quemcumque totaliter prohibemus. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si autem post dictum festum magister decesserit, addatur sic: vel amotus fuerit. Et ibidem cum statim subditur: ipsius obitus, addatur: vel amocio. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In ordinario in rubrica de officio b. virginis, ubi dicitur: Ab octavis epiphanie usque ad septuagesimam in omnibus sabbatis, nisi festum simplex aut maius occurrerit, deleatur, quod dicitur: in omnibus sabbatis, nisi festum simplex aut maius occurrerit, et addatur sic: et in diebus sabbatis tocius anni, preterquam a sabbato ante dominicam primam quadragesime usque ad octavas pasche inclusive, nisi festum simplex aut maius occurrerit, et preterquam infra octavas alicuius sancti, quando de eis agitur, et vigiliis festorum, que propriam habent missam, et in sabbatis quatuor temporum. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: carcerali custodie mancipetur, addatur sic: si quis alteri fratri ordinis vel ipsi ordini crimen falso imposuerit, propter quod crimen secundum nostrarum seriem constitutionum frater aliquis carcerem mereretur, aut crimina huiusmodi fratrum secularibus personis extra obedientiam nostri ordinis constitutis revelaverit, unde ordini vel fratri infamia seu dampna fuerint subsequuta, modo consimili carcerali custodie mancipetur. Et nolumus, quod huiusmodi destructores ordinis

possint nisi per magistrum ordinis vel generale capitulo liberari. Idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos lusisse, quos eciam pene carceris volumus subiacere. Et hec habet tria capitulo.

Item confirmamus hanc: In ordinacionibus ordinis per dominum papam Iohannem [factis] vim constitutionum habentibus, que in fine nostrarum constitutionum sunt posite, in capitulo de electionibus, ubi sic dicitur: nisi pro officio lectorie, addatur sic: vel prioratus. Et hec habet tria capitulo.

Item confirmamus hanc: Quod in singulis diebus, in quibus de beato Dominico et beato Petro martyre fit memoria in fine matutinarum et vesperarum, fiat eciam memoria de beato Thoma de Aquino post predictas, videlicet in matutinis per antiphonam: Collaudetur, cum versiculo: Rigans montes; in vesperis vero per antiphonam: O Thoma, cum versiculo: Declaracio sermonum, de cetero dicantur. Et hec habet tria capitulo.

Volumus et ordinamus, quod omnia et singula hoc anno confirmata per presidentes in constitutionibus nostris in suis locis cum omni diligencia conscribantur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

In primis zelo et intencioni [capituli] anni preteriti pro ordinis reformacione nos conformare volentes, volumus et iniungimus prioribus provincialibus et aliis ordinis presidentibus, quod constituciones et ordinaciones et specialiter sequentes observent et ab aliis faciant inviolabiliter observari, videlicet: quod omnes fratres frequentent [refectorium] ad unguem, ita quod nullus frater, cuiuscumque condicionis aut gradus existat, amplius quam bis vel ter ad plus notabiliter in septimana a refectorio se absentet; et quod omnes tam de die quam de nocte ad chorum veniant et faciant divinum officium secundum modum ordinis devote et sollempniter celebrari; et quod silencium arcte et districte locis et temporibus institutis teneatur, super quo observatores in quolibet conventu volumus deputari; et quod fratres nisi illi, per quos conventus sustentantur, per villam discurrent nisi raro, et tunc altera pars copule matura sit et secura; et quod constituciones et ordinaciones de inclinacionibus, et de non equitando sine licencia speciali, quam concedi nolumus nisi antiquis fratribus et ex causa; et de habitu ordinis quoad formam et materiam secundum nostras constitutiones deferendo; et specialiter quod vilitas in capis pocios observetur; et de botonis in manicis non portandis; et quod eciam manice dissute seu scisse non portentur; et quod fratres intus vel extra conventum carnes non comedant, nisi secundum constitutionis formam; et quod fratres de arte medicine non se intromittant; et quod expense excessive prohibeantur; et de non tenendo pecuniam in manibus secularium nec eciam extra depositum conventus; et de non revelando facta ordinis personis extra nostrum ordinem constitutis; et de rasura secundum ordinis formam deportanda; et quod qualibet septimana sit capitulum de culpis, a quo nullus remaneat sine causa urgente; et de pictaniis per magistros seu lectores ac baccalarios in suis principiis nullatenus fiendis; et de non procurando aliquod officium extra ordinem nec eciam amocationem seu remansionem in conventu aliquo pro se vel pro aliis per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas; et quod in cameris non comedatur, nec sint in conventibus plusquam quatuor loca ad comedendum; et quod infirmi bene procurentur; et dictarum ordinacionum transgressoribus imponantur pene, in quibus aut nullatenus aut raro et ex causa dispensemur. Et presidentes, priores vel suppriores negligentes in predictis, mox per priores provinciales absolvantur. Et volumus et ordinamus, quod constitutiones ordinis semel infra duos menses in mensa fratribus congregatis integraliter perlegantur.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis et eis imponimus per preceptum, quatenus infra annum faciant in singulis conventibus constitutiones, ubi expedit, emendari; et volumus, quod eas sic correctas faciant per penas in eisdem positas et taxatas, quantum poterunt, observari, nec se reddant faciles ad dispensandum leviter in predictis; iniungentes prioribus et aliis infra presidentes, quod si in penitenciis per eos impositis faciliter dispensaverint, ipsi consimiles faciant penitencias, super quo eorum conscientias oneramus, et adhuc eciam per superiores arceantur, cum fuerit inventum.

Item. Imponimus prioribus provincialibus, quod studium in suis provinciis cum omni diligencia studeant reformare per diffiniciones preteriti anni et arcent fratres per penas debitas ad sequendum scolas legencium et specialiter principalium lectorum. Et ordinamus, quod nullus ponatur ad legendum vel mittatur extra provinciam ad studendum, nisi provinciali et diffinitioribus de eius sufficiencia constiterit per examinatores positos per eosdem¹.

Item. Districte imponimus fratribus universis, quatenus (in) sciencis vanis, curiosis et peregrinis reiectis, veritati, sciencie et doctrine s. doctoris nostri diligenter intendant, nec conversentur, nec se assident fratribus cuiuscumque status, qui docent, aut predican conclusiones temerarias, suspectas, falsas et periculosas et maxime contrarias determinacioni sancte matris ecclesie et communi(s) doctrine, sed tales fugiant tanquam ethnicos et publicanos. Quod si admoniti per presidentem non se correxerint, ipso facto penam gravioris culpe ex vi presentis statuti se noverint incurrisse.

Item. Cum secundum constitutiones nostras ad predicandum verbum dei et audienciam confessionum nullus assumi debeat, nisi sit ydoneus, moribus et sciencia approbatus, volumus et ordinamus, quod nullus ad officium predicationis et confessionis audienciam assumatur, nisi prius examinatus fuerit et sufficiens inventus per examinatores positos in capitulo provinciali per provinciales et diffinitores vel per priorem provincialem in quolibet conventu; in quibus volumus, quod diligens cura et cautela permaxima apponatur. Significamus autem omnibus fratribus ordinis, quod reverendus pater magister ordinis de facto nunc pro tunc absolvit omnes et singulos fratres insufficientes per quoscumque promotos ad predicationis officium et audienciam confessionum,

¹ Cf. supra pag. 349 l. 17 sqq.

ipsos officio iam dicto simpliciter privando. Vocamus autem insufficientes ad officium predictum, quos priores provinciales cum consilio discretorum insufficientes et minus ydoneos iudicabunt; mandantes dictis prioribus provincialibus, quod super predictis diligenter inquirant. Ceterum sciant fratres universi, quod, si frater quicumque inventus fuerit absolvisse a peccatis vel sentenciis a suis superioribus reservatis, penam gravioris culpe se noverit incurrisse.

Item. Ordinamus, quod nullus de cetero fiat predictor generalis, nisi fuerit sufficiens in moribus et vita, et qui alias de crimine non fuerit convictus. Nec prior aliquis propter suos defectus absolutus fiat eodem anno visitator.

Item. Volumus et ordinamus, quod omnes fratres conversi nostri ordinis habitum in colore et forma deferant secundum tenorem constitucionis, et ubique et cum quocumque hec uniformitas observetur, nec habitum clericorum assumere audeant quoquomodo.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis, quod in suis provinciis vicarios non instituant per contratas, et sic institutos per quemcumque absolvimus per presentes, subtrahentes potestatem cuicunque tales vicarios faciendi. Poterunt autem secundum morem ordinis visitatores instituere in provincialibus capitulo, qui provinciam visitent; quos semper fieri volumus maturos pariter et discretos, quibus vel aliis fratribus ydoneis, si opus fuerit, possint vices suas committere secundum plus vel minus ex causis rationabilibus et iustis. Predicta autem non intelligimus de illis contratis, que secundum morem ordinis semper consueverunt per vicarium gubernari.

Item. Ordinamus, quod supiores seu lectores vel magistri arcium vel magistri studencium non fiant socii priorum ad capitulum provinciale, cursoribus sentenciarum, magistris studencium et biblicis in studiis generalibus duntaxat exceptis; quod si secus factum fuerit, sit irritum et inane; volentes, quod predicti lectores lectiones continuent usque ad rumores capituli provincialis vel usque ad festum Magdalene, si contigerit post dictum festum capitulum celebrari supradictum. Iniungentes fratribus universis, quod studeant in biblia diligenter, et lectores circa textum et glossas principaliter insistant, cursoresque sentenciarum in studiis generalibus et sollempnibus omnes quatuor sentenciarum libros in anno perlegant; quod si non fecerint, sequenti anno lectores non fiant.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis, quatenus alicui fratri nostri ordinis aliquam episcopalem vel archiepiscopalem dignitatem non concedant licenciam acceptandi absque magistri ordinis licencia speciali; quod si contrarium fecerint, nullius existat penitus momenti.

Item. Volumus et ordinamus, quod priores provinciales licenciam non concedant cuicunque fratri dandi bona sua fratri alteri vel conventui cuicunque, sed bona fratum remaneant illi conventui, in quo ipsos mori contigerit conventionales. Omnes autem licencias seu concessiones, que iam suum non sortite sunt effectum, factas per quemcumque cuivis conventui de licencia cuiuscumque, eciam si talis sit licencia vel fuerit magistri ordinis vel prioris provincialis sub quacumque forma verborum, reverendus pater magister ordinis penitus per presentes revocat et penitus annullat; et similiter omnes gradias exemptorias factas per quoscumque cuicunque sub quacumque forma verborum.

Item. Districte imponimus provincialibus universis ac diffinititoribus capituli generalis, ne pro [se seu] pro factis communibus provincie recipient ullo modo nisi necessarias expensas, de quibus rationem strictam reddere teneantur in capitulo provinciali coram diffinititoribus capituli provincialis, vocatis eciam ad hoc aliquibus probis viris; quas expensas recipient a conventibus provincie sue, taxando dictos conventus iuxta condiciones ipsorum.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinititorum consilio et assensu fratribus ordinis universis, ne frater, cuiuscumque gradus existat, ad curiam Romanam accedat nec conventum suum exeat cum proposito ad dictam curiam accedendi, nec in curia stet sine ipsius magistri licencia speciali; de qua per litteras magistri suo provinciali ac vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem; et in eadem curia Romana procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur.

Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus gradiis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse; quam sentenciam excommunicacionis magister ordinis protulit in diffinitorio iuridice de ipsorum diffinititorum consilio et assensu; absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans.

Concedit tamen dictus magister prioribus provincialibus ac vicariis generalibus eorumdem, quod pro negotiis ordinis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam priori provinciali Provincie, quod licenciare possit fratres sue provincie [ad curiam], secundum quod honori ordinis videbitur expedire.

Postquam vero fratres, ut premititur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore ordinis statuta et ordinaciones in dicta curia factas de cortesanis teneantur petere et legere per preceptum.

Item. Volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu, dicto pater noster et credo post completorium, fiant tres pulsaciones cum magna campana, et tunc fratres genibus flexis salutent virginem gloriosam, dicendo ad minus tres ave Maria et post Fidelium in horis dicatur a fratribus genibus flexis Salve Regina cum quatuor collectis, prima: Protege, secunda: Deus omnium fidelium, tercia: Famulum tuum, quarta: Ecclesie tue, addendo in fine: et pacem tuam nostris concede temporibus. Versiculis precedentibus: Ora pro nobis, pro prima, oremus pro domino papa, pro secunda; domine, salvum fac regem, pro tercia; fiat pax in virtute tua, pro quarta.

Item. Confirmamus ordinacionem factam in capitulo Castrensi, quod frater quicumque solus non vadat extra conventum nec sine licencia eciam cum alio fratre exeat. Et quod fratres litteras testimoniales portent secum, et omnia alia, que in eadem ordinacione posita fuerunt cum penis adiectis in eadem².

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo [de electione prioris conventionalis] quod nullus frater irregularis vocem habeat in quacumque electione, et qui non est in sacris ordinibus constitutus.

Item. Declaramus hanc: Quod privare fratrem omnibus graciis ordinis, est ipsum privare prioratu, subprioratu, lectoratu, predicacione generali et omni gradu et promocione in nostro ordine possibile adipisci. Volumus autem et ordinamus, quod talis frater ordinis omnibus graciis privatus, ut est dictum, sit eciam voce privatus.

Item. Declaramus in capitulo de apostatis, quod committentes crimina seu peccata tum in ipsa apostasia, sive eciam fulta, propter talia sic commissa, pari pena plectantur, ac si dicta crimina in ordine perpetrassent.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de domibus concedendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno, quod intelligatur ille annus quounque per fratrum receptorum sufficientem multitudinem tantus possit reparari defectus; ad quod priores provinciales volumus et districte imponimus dare operam efficacem.

Explicant acta capituli generalis apud Narbonam celebrati anno domini · m° · ccc° · liii° ·.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCV.

² Cf. supra pag. 341 l. 8 sqq.